

CAP. XIII.

*De vita Ministri Ecclesiae.*

§. 1.



Ravis est admonito Apostoli *Petri* ad Ecclesiae Ministros, cum *1. Epist. V. 3.* vult, ut sint *exemplaria gregis* h. e. ut in vitae pietate & sanctitate ambulent, ut ad eorum imitationem Auditores etiam vitam suam instituant, si quid unquam enim Ecclesiae Ministrum Deo pariter ac hominibus commendat, illud est vita bonis moribus & sincera pietate ornata.

§. 2. Hinc Paulus adeo solícite describit requisita vitae sacerdotalis *1. Tim. III. v. 2. seqq. Tit. 1. 6. seqq.* Requirit autem Apostolus (1.) ut Minister Ecclesiae sit *irreprehensibilis*, non quod debeat aut possit esse sine omni peccato, sed ut ita vivat, ne aliis scandalum præbeat, ut etiam suspicionem mali fugiat, vix enim est, ut cum fructu in officio ecclesiastico versetur, qui propter crimen aliquod male audit.

§. 3. Requirit Apostolus (2.) ut Minister Ecclesiae *unius tantum uxoris maritus sit*, quia tempore illo polygamia nondum plane erat sublata, sed quodammodo in conversis tolerabatur. Verum in Ministro Ecclesiae eam tolerare non voluit Apostolus propter scandalum.

§. 4. Requirit Apostolus (3.) ad ministri vitam, ut sit *vigilans*, hoc est, ad omnia intentus, perspicax, ne Ecclesia vel ex hæreticorum insidiis, vel ex impiorum pravis moribus detrimentum aliquod capiat: Unde *Ezechielis III. 17.* vocatur *speculator*, qui quasi in specula constitutus prævidere debet mala imminencia, eoque nomine auditores monere.

§. 5. (4.)